



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||  
LAVRETANAЕ HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

**Torsellini, Orazio**

**Romae, 1597**

Cap. 14. B. Virgo Lauretana Patrona à Picensibus adoptatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

Lauretanæ forma , ac parietibus conuenire coeperunt . Revtrobie gesta ex sententia , admodum læti concen-  
 dunt nauim : ac remenso mari , Anconam vnde soluerat ,  
 reuehuntur incolumes . Protinus domos repetunt , Magi-  
 stratusque , ac primoribus ciuitatum , vnde missi erant ,  
 comperta referentes , suam illis lætitiam impertiuunt . Et  
 Recinetenses successu læti legationis , cuius authores fue-  
 rāt , monumentum exstare voluerunt . Rem omnem in  
 publicas tabulas referre placuit , additis sexdecim lega-  
 torum nominibus , testimonijisque , quò res restatior ad  
 posteros foret . Earum litterarum exempla in priuatorum  
 ædibus afferuata ad nostram vsque ætatem peruererunt .  
 Hæc autem per legatos cognita sunt anno à Virg. Partu  
 M. CC. XCVI .

Hier. Ang.

Prop. Tere.

**B. Virgo Lauretana Patrona à Picentibus  
 adoptatur . Cap. XIV.**

Picentium  
 concursus.

**E**xtemplo fama , vt solet , strenuè finitimas vrbes pa-  
 gosque discurrit , sexdecim legatos ex Illyrico , &  
 Galilæa reuectos renunciasse , manifestis compertum in-  
 dioijs , Laurētanam Aedem esse eam ipsam domum , vbi  
 Dei parens genita sit ; & ab Angelo salutata . nimirum  
 eandem primum ex Galilæa in Illyricum , deinde ex Il-  
 lyrico in Picenum diuinitus transportatam . Et per idem  
 fermè tempus tertiam in agro Recinetensi migrationem  
 eadem fama vulgauerat . Ergo plerosque mortales , velut  
 nouo ex houa fama animorum ardore concepto , ingens  
 cupido cepit cælestis doni ad se inde vsque ab oriente  
 transmissi in noua fede visendi , colendique . Omnes quip-  
 pe ita rem vulgo interpretabantur , Deiparam Picentibus  
 suam ostentasse tutelam . Proinde reliquum esse , vt ipsi  
 in eius clientelam , fidemque committerent se . Confe-  
 stim igitur ex omnibus prope oppidis incolæ plenis effusi  
 portis ,

portis, vijsque ad Lauretanam Aedem contendere cœperunt. Nec firmi tantum, ac valentes procurrere, sed etiam ægri & imbecilli, neglecto medentium imperio, prorepere ipsi si possent, sin minus, ab alijs, vt cumque se iubere deferri. Cæterum ex plerisque Piceni vrbibus, oppidisque paulo opulentioribus, populi linteati pluribus agminibus, tanquam cohortes sub signis, incedebant insignibus, coloribusque distincti. Qui certatim Deo, Deique parenti carmina canentes, symphoniarum, tympanorum, tibiarum cuncta circum loca festo complebant sono. Hos deinceps misti mulieribus, pueri, puellæque uno velut agmine sequebantur. Ad facillum Virginis, vt ventum est ( quoniam loci angustiæ tantam hominum multitudinem excludebant ) in ipso conspectu sanctissimæ Domus, submissis genibus tanti munera largitorem vniuersi pariter adorant. Exinde ad agendas Deo Deiparæque grates versi, in tanta malorum, partim instantium, partim vrgentium mole, pacem ac veniam precibus exposcunt. Ipsamque Dei parentem enixius orant, vt quoniam Piceno cladibus afflito voluntariam se Patronam obtulerit; Picentes in suam fidem, tutelamque recipiat: & volens, ac propitia suam semper sospitet gentem. Nec inane tutelæ, clientelæque nomen fuit. Ex eo tempore, & B. Maria certissimam se Picentibus Patronam, & illi vicissim se deuotos B. Mariæ clientes perpetuo præbuere, Lauretana eius Aede non solum ornanda, sed etiam tuenda.

*Sacra Domus cœlestibus illustrata flammis in dies magis celebratur. Cap. XV.*

**N**Am quotidianis in salute humanis corporibus redenda miraculis, interdum accedebant prodigia cœlestia haud dubiè significantia B. Virginem Picentibus adesse. Visa non semel est per noctem subita de cœlo effundi